Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 723
Quelle:
Copyright:

Tertium Hexaſtichon eſt Chriſti patientis ad Hominem Apoſtrophe: *Dulcis amice uides* &c. Quartum Carmen prolixior Numinis invocatio: *O lumen uerum* &c. Quintum brevius ad Mariam Virg. *Virtutum genitrix* &c. et Sextum ad Servatorem: *Chriſte faue uotis* &c. Omnia ſat fluida.

V. p. 152. *Incipit uiſio cuiusdam militis hybernienſis ad edificationem multorum conſcripta.* Gemina *Drithelmianae* mox relatae. Praeit *Marci* interpretis Prologus, ut *Vol.* I. P. 2. *col.* 1258. quo te, ſi lubet, refer. Miles in Exemplo praeſenti *Tnugdalus* audit, errore, ut puto, Scribae pro *Tungdalus.* Viſio incipit: *Hybernia igitur inſula eſt in ultimo occidentali oceano* &c.

CCCXXXV.

U. 90 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 98. 4. bene, quamvis non ab una manu exaratus, et minio diſtinctus, quondam ab *Joh. Alex. Braſſicano* ICto noſtro, ut ejus manus, dein ab *Joh. Fabro* Ep. ut ejus typis excuſum Περογραμμα teſtatur, poſſeſſus continet: I. praemiſſo, et quidem LXXII. *Capitulorum*, Summario S. *Auguſtini Enchiridion de Fide, Spe et Caritate* hic ſimpliciter inſcriptum: *Incipit enchiridion.* Initium eſt: *Dici non poteſt Fili Laurenti Dilectiſſime* &c. Extat edit. *Maur.* T. VI. *col.* 195. Περικοπην illam: *Sicut autem nemo a ſe ipſo — a Deo eſt;* Codex mox ſub initium non agnoſcit, et non multo poſt legit: *quid in rationem, cum fides ſit ſola, non ueniat;* lectionis ceterum ſat ſincerae.

II. *fol.* 48. *Incipit ſermo* (eraſum) *eccleſie*, ſed coaeva manus ſuperſcripſit: *de patrono.* Initium: *Triumphalis beati martiris N. ille dies hodie nobis anniuerſaria* &c. In Breviario *Rom.* quidem *Auguſtino* tributus, alicubi inter *Ivonis Carnot.* Sermones exiſtens, rectius tamen in *Append.* T. V. *Opp. Aug. col.* 368. repoſitus eſt.

III. *fol.* 49. ἀνεπιγραφως Inſtitutio de Ritibus Dedicationis Eccleſiae, quae incipit: *Quoniam ad dedicationem preſentis baſilice hodie deuote conueniſtis, oportet* &c. Non te turbent interjectae bis Rubricae: *Quid ſignificet deſcriptio alphabeti*, et: *Quid ſignetur in uaria unctione altaris et ceteris.* Continuus Sermo eſt *Ivonis Carnotenſis* ſub finem anni 1115. vivis exemti *de Sacramentis Dedicationis*, qui in ejus *Opp. Pariſ.* 1647. f. legitur ordine *Quartus* p. 269. et in *Melch. Hittorpii* Collect. Liturg. *Colon.* 1568. f. p. 478. Finit: *et opere implere ſtudeatis. Preſtante domino* &c.

IV. *fol.* 54. p. 2. *De Sacramentis neophitorum. cuius ſupra in ſinodo.* Verum nemo ſupra nominatus fuit. Eſt autem ejusdem *Ivonis Sermo I.* edit. *cit.* p. 259. qui incipit: *Quoniam populus ad fidem vocatus* &c. et finit: *ſed cum gaudio rationem reddant.*

V. *fol.* 60. *De excellentia ſacrorum ordinum et uita ordinandorum. cuius in ſinodo.* Nempe *Sermo* II. p. 262. hoc initio: *Quia chriſtia-*